

T. Hobbes, *Critique du De Mundo de Thomas White*, (ed. J. Jacquot e H. Whitmore Jones), Vrin Paris 1973 (pp. 194-195).

Chap. XIII, § 2.

Inquirendum occurrit hac occasione quid sit conatus. Motus omnes sciunt nihil aliud esse praeter loci prioris amissionem, et posterioris acquisitionem continuam. Conatum autem esse idem, quod motus principium, manifestum praeterea est partem motus esse motum, principiumque uniuscuiusque rei esse primam eius partem, unde sequitur conatum omne esse motum. Quid (*Lire* quod ?) si quis negaverit idem esse principium & partem primam, dixeritque principium constare in puncto indivisibili ita ut id quod iam quiescat, possit tamen dum quiescit habere in se principium motus, sequetur ut id quod quiescit moveri possit ex seipso, neque opus habeat ut aliud accedat movens à quo incipiat moveri, contra suiipsius & omnium penè philosophorum sententiam, et praeterea contra experientiam. Vel si quis dixerit principium motus esse potentiam ad motus sine actu, sequetur conatum nonesse actionem, neque quicquam efficere sive ille introrsum sit, sive extrorsum. Est itaque conatus motus actualiter, licet exiguus, nec oculis manifestus. Quod sic quoque ostendi potest. Admoveantur duo corpora sibi invicem ad contactum, puta sphaera ferrea sphaerae ferreae, ita ut in puro & mathematicè sumpto contactu conquiescant, neutra vicinam, aut partem eius quam tangit, movebit pretemvè, quare? Quia dum quiescit nullum habet conatum. Eadem si inter movendum, sive dum moveretur, indicisset in sphaeram alteram, eam pepulisset, quare? Quia in hoc casu ni indicisset in resistentem sphaeram, processisset ultra, at in priore casu substitisset, conatus ergo in eo consistit quòd conans moveatur : similiter gravia in terra iacentia conari tamen deorsum dicantur, quia ablato impedimento actu descendunt, quod si non descenderent non dicerentur priùs conari. Similiter, arcus tensus conari ad restitutionem partium putatur propterea quòd ablato impedimento actu se restituit, restitutus conatum ampliùs non habet. Quoniam vero ablatio impedimenti actio non est, opus autem actione est ut quiescentia moveantur, restat ut principium descensûs gravium, & reditionis arcûs sit movens aliquod actu motum [esse] in ipso gravi descendere conante et in ipso arcu conante se restituere. Omnino igitur conatus est motu actualis, vel totius corporis conantis vel partium eius internarum, & invisibilium. Quod autem in partibus internis corporum omnium durorum & quorum partes visibiles inter se cohaerent, & agenti resistunt, motus insit, ex eo arguitur quòd omnis resistentia est motus, resistentia enim reactio est, reactio actio est, & omnis actio motus.